

Prologus Galeatus,

pis mandatum Lugduni Batavorum (vulgò *Leid.*) multa signat, sed tantum signat. Potest dici *Persicum*; igitur ante Alexandrum Magnum (quod desideratur in Herodoto & Diodoro Siculo) Chaldaeorum, Babylonum & Persarum, Ephemerides proponit; sed non exponit. Labori nobis fuit exquirere in alijs, quod parè innuit: invenimusque fidelem in historia: in qua quidem stimulantem observavimus indicem; ut in alijs AA. perscrutaremur clariorem explanationem: quam faustè ad votum erga festa Ægypti, eorumque Reges invenimus apud Kircherum in toto *Oedip. Ægyptiac.* ac *Prodrom. Copto*, varià eruditione ornatis: simulque apud Herodotum & Diodorum Sicul. verum sine temporis sigillatione; sicut de Persis, apud Barnab. Brisson. De rebus Græcis, tam in celebritatibus, quàm in varia fortuna & Reipublicarum & virorum illustrium; signatè Meursius d. Georg. Draudius post *Centones rerum memorabilium* in *Commentar. Solini*. At quantum auguror, quæ signat, signat voluntariè, quippe sine auctoritatis fulmine, addens gesta clario-
ra ad lubitum, præter ea, quæ habemus in diminuto *Diario Græco*, & referunt Plutarch. Æmil. Probus (vel ut placet Andr. Schotto) Cornel. Nepos, Justin. ex Trogo Pompejo & Polybio: immò distinctis in diebus, quibus figit Petavius (uti videmus) tam in *Doctrina Tempor.* quàm in *Rationar.* Ausus planè meo iudicio, temeritate plenus: equidem quod Draudius ex lectione observavit mirum est, fugisse Doctores, ac in historia versatissimos, Sallianum, Brietium, Turfellinum, aliosque insigniores historiographos.

13 Erga Alexandrum Magnum & successores plena profectò historia; sed pleniora mendacia; uti observavit Joannes Freinshem. *Commentar. in Curtium Rufum*; & Nicolaus Blancard. Hinc *Diarium Alexandri* etiam voluntarium arbitror, sicut ejus epistolæ fictas; & omnino commentitia plura quæ refert Sebastian. Musterus in *Geograph.* lib. 5. à cap. 120. Gesta nota sunt in Arriano, præfato Curt. Justin. & Plutarch. sed somniata, plus quàm gesta: maximè in formatione Diarij, in quo ex Plutarcho aliqua supputari possunt, sed non omnia (ut exprimit libellus nomine Herculis Ciofani) ni invenisset *Diarium*, quod confecit quidam Beton, aut Archelaus Chorographus, de quo Diogenes Laertius, lib. 2. de *Vir. Philosoph.* cap. 4. Vel *Commentarium de Alexandri rebus*, studio & opera Strabonis, vel Callisthenis, de quo Photius in *Eclogis*, & Laurent. Ro-

domanus, ex lib. 21. Diodor. Sicul. Cate-
rum evanuerunt, & in descriptionem expeditionis inclytæ desideravit Abraham Ortelius in *Parerg. Geograph. Tabul. 5.* Si Archelaus chorographus (inquit) quem omnem terram ab Alexandro pervagatam descripsisse tradit Laertius: aut Beton, Alexandri dimensor, quem stationes expeditionis, litteris mandasse, annotavit Athenæus; vel Strabonis *Commentarium*, quem de *Rebus Alexandri* fecisse, ait, ad nostra usque tempora mansisse pervenissent; minus proculdubio nobis difficile foret, Alexandri expeditionem studiosis lectoribus exhibere. Hæc sanè videntur similia somnio asserentium sex Mensium fastus Ovidij, à cunctis desideratos, esse in Gallia in Bibliotheca Regiæ; quali duntaxat haberentur pulveri mancipata. Præfatus Hercules Ciofanius, in *Præfat. ad Notas Fastor. Ovid.* astruit, octo libros esse in Bibliotheca Summi Pontificis, & duos alios esse Achillis Statij & Fulvij Ursini. Sit ergo, sed non videmus, nec ipse in Notis aliquid singulare designat.

14 In argumento Fastorum Romanorum, luculenter floridèque invenitur Ovidius; de quo jurè possumus dicere, quod Augustinus de Homero, lib. 1. *Confess.* cap.

14. *Peritus texuit tales fabellas, & dulcedine vanus est.* Illustrant Vatem Carol. Neapolitan. Anton. Constantius, Paul. Marcius, & Rosin. cum Dempstero; in quem etiam observationes criticæ præfati Herculis Ciofani. Additi etiam sex Mensibus vacuis fasti à Lil. Gregor. Gyrard. in *Kalendar. ex varia lectione*, ut ipse ait in *Præfat.* & statis diebus, argumento, quo tanti temporum errores implicant, alijs aliter apud alios ordinatis ac proditis; ut pleraque nec quo mense, nec quoto die, quibusve Consulibus, Pontificibusque instituta sint, in tanta varietate & vetustate, non rerum modo, sed etiam auctorum statuere aut digerere possint. Hoc enim in opere, ad merum signum addit cuncta solemnia Græca, ac tempora rerum insigniter gestarum; vocatque *Kalendarium Græcum*, quod Theodorus Gaza Atheniensibus studio multo confecit. In signum dixi, quippe quàm cuncta per acopen: majoremque faciem præbet ad historiarum illuminationem in Syntagmatibus de *Dijs*, quàm in argumento fastorum; sicut similiter invenimus in Pausania, ut possemus ritus, simulacra, ac solemnia Græcorum tutò prodere, completè ac plenissimè ex *Mythologia* Natalis de Comitibus, *Observationibus* Coelij Gregorij, *Speculatione de Natur. Deor.* *Bibliotheca* Apollodori, *Fabulisque* Palæphatis;

Abr. Ortel.

Augu-
stin.

Lil. Gy-
rard.

& totius operis argumentum.

ti; quibus accessit Mythologicon Fulgentij Placiadis, alijsque viri illustri eruditione pollentes.

15 Fastis ita expressis & illustratis, extremèque manu politis ab Huberto Goltzio, & Onuphrio Panvinio; *Parerga* in ornatum apposuerunt ex nostra Hispania Laurentius Ramiresius de Prado, & Joseph Antonius Gandisalus de Salas: docti quidem, ut scriptis suis claret; sed typis mandare hujusmodi parerga ausi non sunt. Adversaria illorum in meas pervenerunt manus, quæ sedulo transcripti, & restituta sunt Bibliothecæ Marchionis Agripolentis, unde desumpta, ejusdem facultate. Scopus operis non alius, nisi ingerere relicta seu omiſsa à præfatis Panvinio & Goltzio. Aliqua astruuntur auctoritate Ciceronis ex Epistolis, maximè familiaribus ad Pomponium Atticum, varijsque Historicis; quos pro fulmine vidi, & in plerisque historias veras inveni; verum non semper statum diem, sed à Prado & Salas conceptum; minimeque opus probatur nec ex Fastis Capitolinis, nec marmorum monumentis, nec numismatibus antiquis; unde possit constare prolata veritas. Veneror tamen propter auctoritatem virorum, ut mihi curioso curiosorum obsequatur studium. Hæcine de scaturigine ad hunc temporum thesaurum judicavimus & indicavimus prænotanda; ut sine ullo obice transire possemus in optata fluata.

16 De Kalendario coelesti (si fas ita nominare) plures egerunt Astronomi, ex Arato, Hygino, Plinio, Columella, Manilio, Germanico Cæsare, & Proclo: statque libellus Græcè Claudij Ptolomei (non Regis Ægypti, ut bardic dicunt, nec Itali, civis Senensis; unde propter coeli serenitatem profectus Alexandriam in Astrorum observationes (ut refert Georg. Draudius, in *Sollin.* cap. 9. pag. 440.) sed Pelusiotæ, aut Peludienas, ut inquit Julius Firmic. Maternus junior, 1. *Matheseos*; qui composuit *Almagestum*, exponens rationem diversorum motuum coelestium per eccentricitates & epicyclos: & floruit sub Adriano, & Antonino (Adi Gesner. in *Biblioth. Munster.* in *Geograph.* lib. 6. cap. 34. Petav. 1. p. *Rationar. Temporum*, lib. 5. cap. 9. & Franc. Junctinum, in *Astrolog. speculo.*) quem latinitate donavit Nicolaus Leonicus, eoque explanantur ortus & occasus Signorum, stellarum, & constellationum coelestium. Ab illo *Sphæra Ægyptiaca*: Arabica ab Abrah. Avenari, Abenephio, & Abenragel: Persica & Indica ab Aben-Ezra: ut videtur apud

Josephum Scaligerum, in Notis ad *Manilij Sphæram*; & Kircher. in *Mathem. Ægyptior. Barbarica* excerpta ex Jul. Firmico Materno lib. 8. *Matheseos*, à cap. 5. quam quidem Grannuyf. seu Bartholom. Anglicus ferè totam spartit à cap. 10. lib. 8. de *Propriet. rerum.* De his loquemur §. 4. & in *Isagogis Mensium*; ubi cuncta quæ argumentum Astronomicum spectant, & etiam inventa à Poëtis in oblectamen curiositatis & otiositatis; à Joann. Joviano Pontano in *Urania* Alexandr. Piccolomineo, Joann. Stoflerino & Galutio cum alijs ejusdem festivi genij, & faceri. Fruere vel ride: vel utrumque.

17 Hoccine Diarium à mundi exordio usque in Almi Spiritus adventum extenditur, postquam in coelum ascendit Salvator & Assertor totius generis humani. Ultra non progredior, ne ut opus infinitum, & simul quippe quàm non omnia vidi, nec omnia legi. Aliquando quasi excurrens terminos fixos transgredior, vel quia insignis illo die atque nobilis rerum articulus, vel quia occurrit epocha aliquo illustris singulari successu; quo semel admissio tempus illud ad se sequentia tempora trahit. Illustriores epochas videtur apud Philipp. Brietium in *Prolegomen. Chronolog.* 1. p. quæst. 18. De diversis successibus post tempus à nobis præstitutum agit Bucelinius in *Nucleo histor. universal.* & in *Kalendar. historic.* Franciscus Junctinus, in *Kalendar. Astrologic.* in *specul. cit.* & Elias Reusner. in *Diar. historic.* non solum agit de Viris illustribus ac foeminis tam in sacris, quàm in profanis; sed etiam de illorum natalitijs, gamelijs, ac funeribus.

18 Usque in Spiritus-Sancti adventum, præmissi. Hoc opus & labor ex quæstionibus ac disputationibus recentiorum, sententiam antiquorum ac præscam traditionem plodentium; quasi in ipsos ejusdem periculi immunes, nequirent eadem spicula retorqueri eodem arcu in jaculantem, cum huic illius displiceat sententia, & illi hujus ratiocinia. Assertum astruitur conjecturis, voluntariè calculatione; quæ quidem tamen auctori, in suo sensu abundanti ponderis videatur magni, alij immò alijs nullius æstimatur ponderis. Cur huic & non illi credendum? quia novissimè scriptis? Futile fulcrum. Non est in AA. ulla æstimabilis auctoritas sine Scripturæ fonte, à quo inconcussa veritas: aliqua si aliquomodo ultrà micaret; haud inter tot opiniones vaga periret. Difficile est attingere medium: errare multis modis contingit, uti exhibebimus in *Tabulis* infra. Illas expendi (fortassis obli-

què)

quæ) videoque eruditione florigerâ ferè omnia in ingenij ostensionem, seu potiùs, ostentationem, & nequaquam in evanescentem præ supputatione oprabilem pulcherrimam veritatem. In his novissimis diebus instant tempora periculosa; suntque homines, habentes quidem speciem pietatis. Ducuntur varijs desiderijs: semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Ita Paulus, 2. Tim. 3. à n. 1. Ut quid titulo eruditionis tantus fastus? Nova enim quædam inferuntur auribus. Deus enim definivit statuta tempora, & tempus habitationis hominum: propositumque præsentium, nosse (ut supra dixi) tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Quapropter cum hoc infallibile sit, astruunt cogitationes sine intellectu, immò reliquias cogitationis, astructa destruentes, atque nova construentes; quærere veritatem, si fortè attrèctent, cum longè sit ab unoquoque nostrum. *Questiones sunt inutiles & vana.* Idem ad Tit. 3. 9. quo loco Hieronymus subdit: *Ejusmodi annorum certum numerum aut difficile est invenire propter librorum varietatem (dum paulatim de inemendatis inemendata scribuntur) & errores innotitos; aut etsi invenimus, & magno studio & labore, nihil profutura cognoscas.* Crisis digna tanti Doctoris & in Scriptura sacra versatissimi. Suffragatur appositè Baronius in systemate annorum à condito mundo usque in nativitatem Salvatoris. *Hujus inutilitatis faciunt quidem certam fidem multiplices supputatores, ab invicem discrepantes: qui licet Hebraico fonte numerum deducant annorum mundi; vix unus vel alter reperitur, qui alteri in omnibus consentiat: cuius rei creditur, desperatione victos Antiquorum complures, qui ante tempora Constantini scripsere de temporibus commentarios, non nisi a Moyse tempore annos numerare cepisse; ut tradit Lactant. 4. cap. 5. Quamobrem nullus facessat negotium, si de annis ab origine mundi ex Hebraica veritate alij, tum antiquiores, tum recentiores supputaverint annos: nam si id assequi majoribus non licuit; certe quomodo id recentiores tunc vendicent, non intelligo.*

19 Unde veritas calculationis patebit, quum unusquisque in viam suam declinavit? Cæci sunt & duces cæcorum buccis crepantibus, atque salivam quatientibus jactabundi: illorum prorsum studium, aliorum rationes seu cogitationes enervare, & suam conjecturam testimonijs importunis vel ineptis contentiosè stabilire; quæ quidem cuncta similiter ridentur vel refutantur ab eis,

qui singularem, voluntariam, quasi inconcussam, tanquam remi novum genus, cogitationem palam, ut suspendant auditores, exponunt; illamque plaudunt, dum cæteras plodunt. In contradictionibus alia propositio dicitur falsa, & alia vera. In contradictoria annorum supputatione (quia affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundum idem) utraque utriusque falsissima: ruitque fabrica, dum diruuntur ad libitum fundamenta. Quare, ni fallor, hujusmodi argumento, expensis & perpensis sententijs, certum solummodò, quod totum incertum: quæstiones interminatæ, seu potius interminabiles. Qui viam ad veritatem ignorat, quò magis procedit magis errat. Quomodo sequenda temporis calculatio, cum temporis ignorantia atque epocharum nescientia?

20 Rideo profectò, ubi scioli in sententijs AA. præfatum articulum tractantium, quasi ipsi crisi etiam sententiam facerent, vel possent; affirmant apertè fronte & turgidè & pompaticè de hac vel illa sententia, magis accedere veritati: disputantque an Imbonati an Blanchini propior? Ipsi in proposito implicant, quippe controversia est de subjecto non supponente. Si locus veritatis nescitur, unde cognoscitur hanc vel illam sententiam veritati esse propiorem? Patet desipientia. Si sententia veritati proximior, quare non apprehendunt veritatem proximam, relinquentes propinquiorem veritati sententiam? Videtur ex verbis, non quærere, vel sequi cognitam veritatem, sed ejus specie phantasticam sine succo exanguem cogitationem. Plurimi doctissimi ac peritissimi (dicunt) & jussu Sacerdotum Summorum, in hoc laborarunt. Sit ergo illi verò hujusmodi sententiam uti veritatem definiunt, decreveruntque observantiam? Nullo modo. Quid ergo? Probabilitatibus aliam addiderunt probabilitatem: totum enim vox nihilque præterea. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum. Studium sanè, non veritatem, sed cogitationes cogitare; queis gerræ & gerræ, nugæque canoræ. Veritas ergo quod Scripturâ constat, quicquid supremi subfellij Auctores dicant. Proferunt quod placet; vel auditoribus gratum, quia novum: dedecetque de Scriptura loqui, juxta scribentium fidem, quin fides sumatur testimonijs Scripturæ. Quid, si contra? Nos (inquit Augustin. 18. Civit. cap. 40.) *in nostra religionis historia, fultæ auctoritate divina, quicquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum; quomodolibet sese habeant cætera in secularibus litteris: quæ*

sive vera, seu falsa sint; nihil momenti afferunt. Si in Scriptura tempus non scribitur, quid scribitur? Notat Jobus, 28. v. 20. *Unde ergo sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ? Ascendit ab oculis omnium viventium. Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius.* Deo ergo tempora & futura & præterita pro majestate servata: quapropter irridens Deastrorum oraculis: ait: *Priores quæ fuerunt, nunciato.* Isai. 41. 22. *Nisi Dominus ædificaverit, in vanum improbis labor.* Audacia est scrutari; & perferutari, quæ Numen abscondit: scrutator etenim majestatis opprimeretur à gloria.

21 Credere debemus quæ Deus dignatus est revelare, nobisque datur exponere, sed non fingere, vel delirare. Nonnulli à mundi creatione usque in nativitatem N. Salvatoris ex Scriptura colligunt annos, 3950. uti videbimus infra, sicineque enumerant. Ab Adamo diluvium usque, 1656. colligitur ex Genes. cap. 5. & 6. usque in finem diluvij, 1657. ex Genes. 8. Hinc ad nativitatem Abraham, 282. ex Genes. 10. & 11. Ab ejus ortu usque in vocationem & repromissionem; 75. ibid. cap. 12. 4. Hinc usque ad Moysen & exitum Israël ex Ægypto; 430. ut ait Paulus ad Galat. 3. 17. Ab exitu usque erectionem templi per Salomonem; 480. ex 3. Reg. 6. à v. 1. Abhinc usque ad Babylonicam captivitatem & templi excidium; 426. ex 3. & 4. Reg. A captivitate usque in annos Græcorum, 281. quinque post obitum Alexandri Magni, & duodecimo, ex quo Seleucus imposuit sibi diademata; unde anni Seleucidarum. Ab annis Græcorum usque in Machabæos; 144. denique usque ad Christum; 165. Alia (ni calculus fiat juxta 70. Interpret. quorum concordiam cum Vulgata sollicitavit Leyva &

Escargota) ut voluntaria rejicienda sunt. 22 Spiritus-Sancti adventus debet signari per calculum temporis nativitatis Christi. Unde cum magis probabile (ideoque Ecclesia Latina computum sequitur) Christum natum, 25. Decembris, passum 25. Martij, cum ætatis haberet 33. ann. & tres menses; surrexisse post triduum, die 27. transactis 49. diebus scilicet septem hebdomadibus; Spiritus-Sancti adventus incidit 15. Maij juxta Rom. Kalendarium, & 16. juxta Hebræum: igitur super Apostolos venit in Pentecoste Judæorum; uti astruximus, Tom. 3. Tautolog. 8. n. 27. Quid dicent AA. neoterici de die, de anno ambigentes? Unde veritas Christi nativitatis, ubi de tempore tot ipsorum opiniones? Juxta Antonium Capellum, Christus natus ann. v. c. 747. Coss. Tiberio Claudio Nerone, & Onco Calpurnio Pisone; Olympiad. 193. ann. 2. ¶ Juxta Kleperum, ann. v. c. 748. Coss. D. Lælio Balbo, & C. Antistio Veteri; Olymp. 193. ann. 3. ¶ Apud Decherium & Petavium, ann. v. c. 749. Coss. Augusto XII. & L. Cornel. Sulla; Olymp. 193. ann. 4. ¶ Juxta Philipp. Brietium, ann. v. c. 750. Coss. Cajo Calvisio Sabino II. & L. Passieno Rufo; Olympiad. 194. ann. 1. ¶ Juxta Baronium, Scaliger. Gordonium & Calvisium, ann. v. c. 751. Coss. Cn. Cornelio Lentulo, & M. Marcello Messala; Olympiad. 94. ann. 2. ¶ Juxta Panvinium, Salianum & Pererium, ann. 752. v. c. Coss. Augusto XIII. & M. Plautio Sylvano; Olympiad. 194. ann. 3. ¶ Juxta Dionyium exiguum & alios cum Ecclesia, ann. 753. v. c. Coss. Cornelio Lentulo, & Calpurnio Pisone; Olympiad. 194. ann. 4. signum ergo absconditæ veritatis est discordantia AA. & multiplices contradictiones.

23 Eluceat hæc, quot homines, tot sententiæ, Natus est Redemptor & Salvator N. anno ab orbe condito (ut autumat Rabb. Nahafon) — 3740.
 Ut dicit Rabb. Gerson, Ben-Levi & Ben-Abraham, — 3754.
 Hebræi in *Seder-Olam*, — 3758.
 Paulus à S. Maria, Lyranus, Galatinus, Georgius Venetus, Hieronym. à Sancta Fide, alijque sequentes Vulgatam, quam calculationem frequenter venerantur Rabbini, — 3760.
 Rabb. Levi, — 3780.
 Nonnulli inter Talmudicos, — 3784.
 S. Julianus ex Hebræis, — 3834.
 Benedictus Atlas Montanus, — 3849.
 Joann. Ligfooth, & Gerardus Mercator, — 3928.
 Matthæus Beroaldus, — 3930.
 S. Hieronym. in *Hebræis qq.* — 3941.
 Joann. Carionus, — 3944.
 Calvisius, Alstedius, Micrælius, & Helvicus, — 3947.
 Bullialdus, Argolus, & David Origanus, — 3949.
 Ubbo Emmius, Fabricius, Joseph Scaliger & Vecchiëtus, — 3950.
 Cor-

Facilitas
AA. in opi-
nionibus.

Prologus Galeatus,

Cornelius Cornelij Alapide,	3951.
Hermanus Schedel,	3952.
Vincentius Bellovacensis,	3953.
Joannes Georgius Hervvart,	3955.
Horatius Turfellinus,	3956.
Philo Hebræus,	3957.
Lanspergius,	3958.
Salmeron,	3959.
Avicenna, Sculterus, Petr. Bogdanus, Dozionus, & Joann. Lucidus,	3960.
Mathias Chefneur Augustinianus, & Adrichomius,	3961.
Sixtus Senensis, Masæus, & Picus Mirandulanus,	3962.
Abulensis, Buxtorfius, & Philipp. Melancton,	3963.
Christianus Severinus, & Petr. Ballifardus,	3964.
Petrus Opmeër,	3966.
Hieronymus Bardius & Henric. Buntingus,	3967.
Jul. Cæsar Bulengerus, Gualterus & Elkstormius,	3969.
Bukolcerus, Janenius, & Pantaleon,	3970.
Lombardus,	3971.
Theophilus Antiochenus ad Autolic.	3974.
Theodorus Bibliander,	3977.
Petavius,	3983.
Bellarminus,	3984.
Joann. Cluverius,	3985.
Joann. Heplexus,	3993.
Funcius,	3996.
M. Anton. Capellus, Tirinus, & Suarius, Jacob. Offerius, Guilielmus Hoëlius, Natal. Alexander, & novissimè Carol. Joseph Imbonatus,	4000.
Jacobus Gordonius,	4002.
Josephus Ben-Mathathias,	4003.
Thomas Lydiat,	4007.
Conradus Pauvelli & Pererius,	4022.
Guilielmus Langius & Henricus Philippi,	4040.
Joann. Jacobus Hofmanus,	4049.
Torniellus, Xantefque Pagninus,	4051.
Salianus, Bucelinus, Buifsier, & Spondanus,	4052.
Nicolaus Mullerus,	4053.
Philipp. Labbe, Brietius & Henricus Samericus,	4054.
Horatius Scoglius,	4055.
Joseph Blancanus, & Rabb. Moses Maymonides,	4058.
Joannes de Roa, & Davila,	4072.
Arnaldus Pontacus,	4088.
Genebrardus,	4090.
Ribera,	4095.
Ludovicus Capellus,	4102.
Brentius,	4121.
Maluenda,	4133.
Laurentius Codomanus,	4140.
Ricciolus juxta Vulgatam & Hebraicam editionem,	4184.
Marianus Scottus,	4193.
Odiaton, seu Eduvicon Astrolog.	4320.
Calsiodorus,	4697.
Origines in <i>Matth.</i>	4830.
Adon Viennensis,	4832.
Epiphanius, tempore secundæ Nicænæ Synodi, in <i>Panario</i> , infra dicendum. Juxta Arabes signante Genebrardo,	5001.
	5185.

Si-

& totius operis argumentum.

Sigebertus, & Isidorus Hispalens.	5196.
Philipp. Bergomensis,	5198.
Eusebius Cæsariensis, Orosius, Beda & Baronius in <i>Mar-tyrol. Rom.</i>	5199.
Joann. Naclerus, & Paulus Forosempronensis,	5201.
HRabanus Maurus,	5220.
Japhar vel Albumasar Astronomus,	5328.
Lucas Tudenfis, & Isidorus Diamata,	5336.
Petrus de Alliaco,	5344.
Panodorus & Ecclesia Alexandrina,	5492.
Q. Julius Hilarion,	5497.
Theophanes Jornandus,	5500.
Nicephorus Calixtus,	5505.
Cedrenus,	5506.
Epiphanius in <i>Panar.</i>	5509.
Fasti Siculi,	5535.
Josephus, qui prius signat, 4163. in <i>Proem. Antiquit. & lib. 1. contra Apionem</i> , relinquens calculationem Hebraicam, 70. Interp. sequens,	5555.
Isaacus Vossius,	5590.
Clemens Alexandrinus,	5624.
Ricciolus juxta editionem 70. Interp.	5634.
Nicephorus Constantinopolitan.	5700.
Lactantius Firmian.	5800.
Philastrius,	5801.
Pezeronius,	5868.
Tabulæ Alphonsinæ apud Ricciolum,	5984.
Cyprianus, & Sudas verbo, <i>Phaleë</i> ,	6000.
Julianus Archiep. Toletanus,	6011.
Onuphrius Panvinius,	6310.
Joann. Regiomontanus, & in Tabulis Mulleri Rex Alphonsus,	6984.

24 Plures alij videndi apud Carolum, Joseph. Imbonatum, Cisterciensem palæophilum: sed quid ex tot sententijs ac opinionibus mutuo pugnantibus? Veritas invenitur, vel depravata stupratur? Nullum perspicuus signum veritatis ignota, quam cogitata opinionibus de veritate. Si nescitur verum, prorsum sententijs & sententijs cogitatur mendacium. Quorsum studium, ubi nihil utile ex varietate opinionum? Quid ex tanta mole? Nihil certi. Plures (dicam cum Josepho, *Proem. Antiquitat.*) *historias, multum inter se differentes quidam enim ostentanda eloquentia causa, glorieque ex ea captandæ; ad hoc studiorum genus se applicant. Quanam itaque discretio inter verum & falsum, dum non cognoscitur opinionibus verum? Audiatur Francisc. Blanchin. in Pontificum historia, edita decretis Clementis XI. Innocentij XIII. & Benedicti XIII. ann. 1723. cujus adjutores 300. viri doctissimi. Ita igitur inquit, Tom. 2. in Prolegomen. n. X. solidum quinquennium ante æram communem Christum natum fuisse; nemo jam dubitat, qui numquam Herodis Antipa inspexerit, à Cardinali Norisio feliciter*

declaratum post Epachas Syro-Macedonum, cussum sub Cajo Caligula, & consignatum sub ejusdem Herodis Tetrarcha, ann. XLIII. Unde subdit ibid. n. 150. Natalis Christi Domini precedit æram communem (scilicet quam Ecclesia sequitur ex Dionysio exiguo) annis 5. solidis, & diebus 7. Illud itaque cogitationis volucris ratiocinium, multiplici eruditione inferatum. Numisma non vidi, nec expositionem Eminentiss. Noris; sed ut minus sapiens, vel in insipientia, dicam, de inventionem & Blanchini cogitationem quid cogirem. A Luca dicitur 2. 43. (alijs testimonijs parco) quod cum factus esset annorum duodecim, remansit puer Jesus in Jerusalem. Si Christi natalis precedit æram communem 5. annis & diebus 7. dum remansit Salvator N. in Jerusalem, erat 17. annorum & dierum 7. Cui credendum? Blanchino, vel Lucæ? An Lucas annos Jesu retulit juxta futuram Blanchini calculationem, vel juxta ætatem Salvatoris? Juxta Blanchinum si æra Christiana 5. annis, diebusque 7. communem precedit; puer Jesus remansit in Jerusalem anno ætatis 7. cum dicat Lucas

Refutatur Blanchinus.

d 2

illud